

496  
V D<sup>o</sup>6  
**IOANNES BAPTISTAE EGNATIVS VENETVS**

præstantissimo Iurisconsulto & Sena-  
tori regio Iacobo Minutio

S. D.



Vi principibus, illustrioribusq; uiris  
ingenij sui monumenta nuncupant, Ma-  
nuti clarissime, alij id agunt, ut aut ue-  
teri, summæq; in eos obseruantæ se-  
id tribuisse dicant: alij ut eorum præ-  
sidio tuti, inuidiam minus graue ac noxiæ sentiant:  
alij ut fructum alieni de se iudicij ea indicatura per-  
cipiant. Nec desunt, qui posteritatis laude rapti, ac  
immortalitatis spe quadam inflammati, ea sibi nomi-  
na deligant nuncupatione, quæ diutissimè & uiuere,  
& florere posse sibi persuaserint. Id quod à pictori-  
bus, artificibusq; plerisq; obseruatum animaduertas:  
qui deorum, principumq; effingendis imaginibus eò  
libentius studeant, quò minus obnoxia illa existimet  
aut hominum, aut temporis iniuriæ fore. Sunt etiam  
qui hoc ueluti sacro litera rū munere promoteri gra-  
tiam, benevolētiāq; eorum cupiant: siquidem haud  
inter postremas laudes referri debet, si quis principi-  
bus perplaceat uiris. Sed et multi facile se, operaq;  
suam his ostentant, quorum & autoritate ornari, &  
opibus

opibus augeri se sperent. Ego uti ex prioribus quas-  
dam fortasse sequar: sic certè duas, quarum altera pu-  
blica, communisq; tibi cum gente Gallica, altera pla-  
nè tua ac propria sit, secutum in primis esse me non  
negem. Et communis quidem illa, quòd cum singulari  
ac diuina potius Grölierij beneficentia Mediolani  
agens alterum ab hinc annum ornat, auctusq; sim:  
non possum iam ex illo tibi, tuisq; omnibus etiā atq;  
etiam non perpetuò uelle debere. Illius enim confue-  
tudine & opera, facile quanta gentis uestra morum  
simplicitas, que publica, domesticaq; disciplina, que  
in omnes charitas, quāta in Deum pietas uestra foret,  
est perspectum mihi planè, ac cognitum. Quid enim  
uobis ipsis magis rectū, apertumq; esse potest? Quid  
minus insidiosum ac fallax? Arctoæ (inquit) geni-  
tes hoc omnes habent. Ego uero cum fallacijs mas ex  
his multis legam: non cœlo, sed naturæ planè hoc ue-  
stra optimæ disciplinæ id tribuam. Iam quid animo-  
rum uoluntatumq; uestrarum fraternam in omnibus  
consensionem prædicem: quam non conuiororum fre-  
quētia tantum, sed officiorum cōmunicatione ac sum-  
ma charitatis mutua testificatione tuemini. Hæc ue-  
ro uobis adeò natura insita, usu parta, consuetudine  
aucta fuisse uidentur, ut tot mihi germani fratres, nō  
de facie solum, sed de morum in primis similitudine  
atq; aequalitate uideamini. Quare non immerito ad-

mirati Pœnorum legati etiam in hoste Rom. scilicet  
Pop. id plurimum esse dicuntur, quod coniuicio acce-  
pti à pluribus ciuitatis principibus, eodem ubiq; cœ-  
nassent argento, testati nullos hominum benignius  
Ro. Pop. uiuere. Nam quid de uestra in regem obser-  
uantia, in Deum pietate dicam? Quæ enim unq; gens  
aut externos principes non admisit, aut admissos non  
interdum expulit; s̄epe etiam per summum scelus non  
occidit? Francis id proprium ac peculiare, nullos una-  
quam externos pati; suos autem usque adeo amare ac  
colere, ut pro eius dignitate ac maiestate tuenda non  
opes tantum, sed uitam profundere possint. illa uero,  
quæ Deo ac religioni debetur, tanta talisq; est, ut si-  
leri melius putem: cum uestigia hanc sanè leuiter im-  
pressa, tot & tanta extent, ut nulla unquam delero  
illam obliuio, nulla obscurare temporum iniquitas ua-  
leat. Cæterum excellens quadam ac eximia in te vir-  
tus, secundusq; ac constans hominum de te rumor, &  
Ioannis in primis Francisci Afidani adolescentis, cū  
summa spei, tum uero laudum tuarum studiosissimi  
predicatio effecit, ut & ego te pridem literis consu-  
lendum duxerim: & nunc Cæsares tibi meos, reli-  
quamq; ad hosce non vulgarem (nisi fallor) industri-  
am cupidissime nuncupem. Qyorum lectio tanto ti-  
bi gravior ac iucundior esse debet, quanto is, qui ea  
tibi inscripsit, te plus amat ac colit, quam multos  
alios,

alios. Huc accedit, quod singularem eruditionem tuam, ac multiplicem literarum cognitionem magni facit: quod Minutiae familiæ nobilitatem (quippe quæ à Romanis illis deducta Minutijs pro constanti beatatur) obseruat: quod denique se tibi quam coniunctissimum ac charissimum esse cupit. Sunt quidem in te corporis & animi (uti audio) egregiæ dotes: quibus Christianissimo regi gratus, admirabilisq; sis nulla certe aut maior aut honestior, quam ut literas, literatosq; homines, quod facis, soueras: illæ scilicet iterere reposcunt abs te, quod tanta tua cum laude uberrimè tribuere. Nam unum te esse ac præcipuum, in quem Gallia tua Transalpina olim intueretur, quem Cisalpina tota prædicet, cuius singularem prudentialaque humanitatem etiam hostis commendet: ita tum hoc literarum beneficium est. Quid, quod Cæsarum hæc à nobis instituta, tribusq; libris concinnata series, multa interim habeat, quæ delicatum etiam lectorem & capere & detinere ualeant? Nam Byzantinæ urbis originem, Turcas ad hæc usque tempora principes, res ab his belli gestas, Maomethis ortum, Romanae urbis captiuitatem, & Asiae imperia supra quingentesimum ac millesimum annum repetita continet: quæ omnia primus ego (quod sine aliorum iniuria dictum uelim) præstiti: ac ut una reliqui tabella depicta spectari commode possent,

curavit: tametsi quid libris commune cum pictura p[ro]p[ter]ea  
scit illa tantum oculos hi animū, mentemq[ue] instrunt.  
Ulla mutam, inanem, ac plerung[ue] falsam descriptionem  
continet: libri uiuentem præscriptionem, atq[ue] exactā  
sp[ec]pondent. Tabulas etiam imperiti pingant, literarū  
monimenta non nisi docti iſſimi conficiant. Tantò de-  
nig[ue] literæ pingendi artem præstant: quanto docti  
in doctis, uiui mortuis atcellunt. Tuigitur cū ab mo-  
rente etate ornamenti plurimum, & laudis ex hisce  
zibi uendicaris, illis ipsis tantundē reddes: tanto etiā  
cumulatius, quod neq[ue] melius, nec honestius beneficiū  
ullum collocari potest, quam quod in bonos &  
dos uiros confertur: quorum mihi uestigia non solum  
sequenda, sed etiam atq[ue] etiam adoranda proposui.

Bene Vale.

## IOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI IN ROMA

norum principum librum primum

Præfatio.



Mperatorū uitas à dictatore Cesare,  
qui primus patriæ libertatem oppres-  
sit, ad Constantiū Paleologum, sub  
quo Turcarum seruitio Cōstantinopoi-  
lis ceſſit: hinc à Carolo Fraycorum Rege ad Maxi-  
milianum

milianum Cæsarē breui aliqui stylo perscripsimus;  
rem ut perdifficilem mihi, atq; arduam, sic iucundam  
qui legent omnibus, & (ut opinor) haud inutilē. Nā  
præterquam quod multa hinc haurias, unde tibi, pa-  
tria, tue plurimum profis: ipsa certe Romani impe-  
rij maiestas, admirabiles eorum, qui imperarunt, euene-  
tus, tot regnorū repetiti casus, tot principū muta-  
tiones relate, non fastidium solum operosæ lectionis  
adimunt: sed admirabundos sensim legentes partim  
ducunt, partim etiam trahunt. Vti neminem arbitrer-  
uel mediocriter imbuū literis, qui non hec & liben-  
ter agnoscat, summa cun uoluptate non perlegat:  
& aliqui ad rei nouitatem accedit, quod consulto nō  
paucā sunt à nobis addita, quæ rerum seriem non mo-  
dò non interrumpant, ueruetiam exornent: quod in  
fabula dextræ, sinistræq; tibi & inter unum, alterū ue-  
ctum adhibet & etiā præsent: nec in campis herba-  
rum uiror minus iucundus, quem uiolæ, hyacinthiæ  
purplei distinguant. Omnimū certe rerum uarietas  
exspectitur: & falso illud est, saccaro semper condi-  
tiora fieri sacerda. Quod si quis erit, qui pleniorem,  
uberioremq; historiam à me exigat: ille saltē hoc mē  
hi non neget, multa esse, quæ breuitate commendatio-  
ra sint sua. Nec tamē desunt interim principes, quos  
copiosius attigi: quorū scilicet et imperij diuinitas,  
& rerum magnitudo id exposcere uidebatur, illuc

uerò testatum apud omnes esse uelut, nihil à me grā-  
tia, nihil odio datum: ipsa ueritas nec interim nuda,  
ut multi haſtenus, tantum à me ſpectata. Anni pre-  
ſertim imperij, ortus eorum, & patria, illuſtriaq; co-  
rūn geſta domi, forisq; non omissa: ſeries uero prima  
cipū tanta fide à me deducta, ut nihil deſiderare am-  
plius quis habeat. Nam & Flauius Blondus hiſe li-  
bris, quos ab inclinacione Romani imperij coſcripsit,  
multos uno uelut agmine ut ſibi incognitos, omisit:  
& qui post illum historiā totius orbis amplexi ſunt,  
nil omnino ad uiri illius diligentia addidere. Ego  
uero & preter Zonare Greacā hiftoriam, & Ni-  
cetę Choniātę, Christoduliq; cōmentarios, Gemistiq;  
libros, etiam ſchedia quedam non indignum, que ex-  
euterem, duxi: uti rem ſemel coeptam Dijs bene fa-  
uentibus absoluerem: quò certa omnia, explo-  
rataq; posteris traderem, utrum autem  
id aſsecuti ſimus, præſens atq;  
fortaffe malignius, ſequens  
certè ſimplicius ac  
candidius eſtit  
mabit.